ISIDORUS HISPALENSIS
12. bis 13. Jh. Seite 133r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26503
Copyright: Admont, Benediktinerstift



catus adherae. statim sua adustione uesicas eius plenas humore facit. Multipes uermis terrenus ex mul
titudine pedum uocatur quia contractus in globum complicatur. Nascitur subpetris ex humore et terra. Limax uermis li
mi dictus quia in limo uel de limo nascatur. Unde et semper sordida et immunda habetur. Bombex frondium uermis
ex cuius textura bombicinum conficitur. Appellatur autem hoc nomine ab eo quod euacuetur dum fila generat et aer solus
in eo remaneat. Eruca frondium uermis holeribus uel pampinis inuoluta ab erodendo dicta. Cuius me
minit plautus. Immitatur neque bestiam et maleficam inuolutam in pampino implicat. Sed eadem nec aduolat
ut locusta ut huc illucque discurrens semipasta dimittat sed permanet perituris frugibus et tardo lapsu pi
grisque morsibus uniuersa consumit. Teredonas graeci uocant lignorum uermes quod terendo edant. hos nos termites dici Teredonas et termites.
mus. Ita enim apud latinos ligni uermes uocantur quos tempore in portuno cesae arbores gignunt. Tinea
uestimentorum uermis dicta quod teneat et eo usque insideat quo erodat. Inde et pertinax quod in eandem rem identi
dem urgeat. Vermes carnium emigraneus lumbricus ascaride costi peduculi pulices lendes
tarmus ricinus. usia cimex. Emigraneus uermis capitis uocatur. Lumbricus uermis intestinarum dictus quasi lum
bicus quia labitur uel quod in lumbis sit. Ascaride costi peduculi uermes cutis a pedibus dicti. Unde et peduculosi
dicuntur quibus peduculi in corpore efferuescunt. Pulices uero uocati sunt quod expuluere magis nutriantur. Lendes
tarmus uermis est lardi. Ricinus uermis est canis. uocatur eo quod herae auribus canum. Cinosenum graece canis est.
Ysia uermis est porci appellata quia urit. Nam uermis momorderit. Adeo locus ardet. ut statim ibi uesicae fiant.
Cimex de similitudine cuiusdam herbae uocatur. cuius fetorem habet. Pe autem uermis in carne putre nascitur.
Tinea in uestimentis. eruca in olere. teredo in ligno. tarmus in lardo. Vermis non ut serpens a partis pas
sibus uel squamarum nisibus repit. quia non est illi rigor spinae ut colubro sed indirectum corpusculi sui
partes gradatim porrigendo contractans et tendendo porrectas motum explicat sicque agitatus perlabitur.

Pisces dicti unde et pecus a pascendo scilicet. Reptilia ideo dicuntur. haec quae natant eo quod reptandi De piscibus.
habent speciem et natura quamuis se in profundum immergant. tamen in natando repunt. Unde et dauit ait Hoc
mare magnum et spatiosum manibus illic reptilia quorum non est numerus. Anfibia sunt quaedam genera piscium. dicta
eo quod ambulandi in terris usum et natandi in aquis officium habeant. Ansi enim graece utrumque dicuntur. id est quia et in
aquis et in terris uiuunt ut bocae. Crocodrilli ipotami. hoc est equi fluuiales. Pecoribus autem et bestiis et
uolatilibus antea homines nomina imposuerunt quam piscibus quia prius uisa et cognita sunt. Piscium uero prius ea paulatim cognitis generibus
nomina instituta sunt. aut ex similitudine terrestrium animalium aut ex specie propria siue moribus. Ex si
militudine terrestrium ut ranae et uituli et leones et nigri meruli et parui diuerso colore. dorso et collo at paui
picti et turdi aliis uarii et cetera quae sunt iuxta species terrestrium animalium nomina uindicarunt. Ex mo